



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per
Quæstiones explicatur**

Eisengrein, Martin

Ingolstadii, 1577

VD16 E 795

XXIII. Vtrùm liceat ex priuilegio Superioris alteri confiteri, quàm proprio
Sacerdoti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30362

nominatim excōmunicati, hæretici & manifesti, Sacerdotes percussores non possunt vices suas aliis committere: Nam huiusmodi commissio requirit iurisdictionem; illi autem habent suam iurisdictionem impeditam: Quare, sicut tales non possunt committere; ita alij ab iisdem non possunt excipere.

Licetne ex privilegio Superioris alteri confiteri, quàm proprio Sacerdoti?

Questio:
XXIII.

Licet. Ea enim quæ sunt ordinis, potest *Responsio.*

proprius Iudex cuicumque eiusdem ordinis committere; cùm Sacramentum Pœnitentiæ administrare, sit Sacerdotalis ordinis, & Episcopus fit proprius Sacerdos, & Iudex eiusdem Sacramenti, potest idem munus cuilibet Sacerdoti cōmittere: Nam pari iure, & casus sibi aliquos reservare potest.

Ideoque concessio facta Religiosis mendicantibus audiendi Confessiones populi, fuit prouida, & sancta, & in fauorem populi facta, eorumque ad eò communi bono præcipuè conducens. Est enim Confessariorum conditio, vt vitæ in primis, deinde scientiæ, & prudentiæ dignitate polleant; hoc autem non est (vt citra cuiuspiam iniuriam loquamur) cur nequeat perinde in Religiosis inueniri, qui claustris inclusi, literis vacant, vt

L 4 in

Caput VI. De Ministro

in secularibus, imò plerunque sunt, & vita sanctiores, & scientia ampliores, nec nõ minoribus obruti occupationibus, quàm Plebani.

Adde, quòd cùm nõ sint aliis negotiis implicati, expeditius possunt Confessionibus audiendis operam dare, præterquàm, quòd cùm temporalia metant, quibus aluntur, debent, vt ait Paulus, Spiritualia in populum refundere.

1. Cor. 9.

Experientia profectò docet, tantum emolumentum religiosorum curam in Confessionibus audiendis, & concionibus habendis Christianis populis indies afferre vt eis sublaris, nõ possit Ecclesia non multum detrimenti accipere.

Quæstio
XXIIII.

Tenetur ne Parochis suis iterum confiteri, qui Religiosis priuilegiatis semel confessi sunt?

Responsio.

Nequaquam. Nam Religiosi priuilegiati vel verè absoluunt, vel non absoluunt. Si nõ absoluunt, igitur nullum habent priuilegium; imò laqueum omnibus iniiciunt, & verum sacrilegium committunt, vt qui conantur eos absoluere, qui absolui non possunt.

Si autem absoluunt, verè absoluunt, igitur nemo potest de illis confessis denuò ad confitendum compelli. Et ratio est, quia Sacra-

cræ